

ANON. Lips.

1

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Christian MEYER

## Anonymus cod. Lipsiensis

(ANON. Lips.)

&lt;Leipzig, Universitätsbibliothek Leipzig, lat. 1492, f. 94-98v&gt;

Édition intégrale (juin 2013)

*Ce texte a été partiellement édité par Heinrich Sowa, Quellen zur Transformation der Antiphonen (Kassel, 1935), p. 154-160. La section 79-145, absente de l'édition princeps, fait ici l'objet d'une première édition.*

L 94ra –  
Sowa p. 154

<sup>1</sup>Grecam litteram ideo moderni maluerunt ponere quam latinam, ut Greci per hoc innuantur huius artis auctores, et ideo velut a peritissimis inventa plus ametur. <sup>2</sup>Gamma a modernis adiunctum est, quia maluerunt habundare quam deficere, quia nisi illud esset, plagalis protus plagalem depositionem per diapente non haberet.

<sup>3</sup>Litteras vocat liber has figuras non quod sint iter legendi hic sed persimile, quia ita certum iter prebent cantui sicut littera lectioni, vel quia eedem figure sunt hic que ibi licet non idem significant hic quod ibi. <sup>4</sup>Sciendum est quod ipse auctor ex ipsis figuris musicis vim vocum quocumque modo exprimens, vocum gravium figuras grossiores, acutarum vero fecit subtiliores ex hoc quodammodo innuens grossiori et ponderosiori voce graves sonos esse proferendos, acutos vero subtiliori et acutiori voce esse exaltandos. <sup>5</sup>Altior sonus respectu gravis acutus esse dicitur persimile, quia sicut acutum quodlibet magis penetrat aerem quam gravis, quia et longius auditur et clarius.

L 94rb  
Sowa p. 155

<sup>6</sup>Notandum quod .b.h. | vicine appositum unum rotundatum est et aliud quadratum, ut quia quod rotundum et volubile est, minus stabile et fixum est. <sup>7</sup>Ipsum .b. rotundum non iam fixum et dignum in natura artis ostendatur, quia non est regulare | sed usurpativum, necessitate illa quia .F. non haberet concordiam per diatesseron cum superioribus nisi per .b. molle. .h. vero quadratum est, ut quia quod quadratum est, et fixum et stabile est. Ipsum .h. quadratum fixum in natura artis et permanens

ostendatur. <sup>8</sup> Quod superacutarum figuras duplicatas et geminatas ponit, illas duplo repetitas ostendit. <sup>9</sup> Voces enim ecclesie ter dicte duplo sunt repetite.

<sup>10</sup> Nisi caute sciat discernere aliquis, .b. mollis videtur facere ipsi cantui quandam confusionem, qui facit eum dici confusum.

<sup>11</sup> Persimile, quia sicut non posset discerni vinum ab aqua si simul funderetur et misceretur, similiter non posset discerni sepe cuius modi sit cantus per errorem b mollis, qui apponitur. <sup>12a</sup> Et non solum facit confusionem dubietatis ut ignoretur, cui magis possit attribui, sed etiam transformationem, quia transformat eum in alterum modum, ut magis videatur formam tenere modi illius cuius non est, quam illius cuius est, sicut in illa antiphona *Urbs fortitudinis*: <sup>12b</sup> primam distinctionem facit esse prothi, cum tamen sit tetrardi, | ita transformat dico ut .G. sonet prothum id est sonando representet, quia per .b. mollem habet intensionem prothi. <sup>13</sup> Facit etiam, ut .a. sonet deuterum, cum ipsa .b. mollis sonet id est sonando representet tritum.

L 94va

<sup>14</sup> Notandum quod species diatesseron alia naturalis alia formalis. <sup>15</sup> Naturalis est cum a tetracordo gravium originaliter sumitur, quia prima species eius ex prima gravium et prima finalium. <sup>16</sup> Secunda species eius colligitur ex secunda gravium et secunda finalium, et sic de ceteris per ordinem. <sup>17</sup> Formalis est quando aliunde undecumque sumitur, quia formam et similitudinem retinet naturalis. <sup>18</sup> Queritur vero quare species diatesseron et diapente has a gravibus has a finalibus originem ducere, dicamus: ubi recte respondetur, quod ibi naturaliter sumant, ubi se per ordinem secuntur, quod non alibi fieri videmus. <sup>19</sup> Si enim primam speciem diapente a prima gravium colligamus, secundam que constat ex semitonio et tribus tonis, non inveniemus. <sup>20</sup> Si vero primam et secundam speciem diatesseron a prima et secunda finalium colligamus, tertiam in ordine non habebimus, quia tres toni sunt continui: .b. enim non est regulare quod dicitur molle a quo naturaliter aliquid fiat.

---

9 sonet] solvet *L*

*L* 94vb

*Sowa* p. 156

<sup>21</sup>Diapente alia constans tono et semitonio et ditono, alia ex semitonio et [a] tribus tonis, vel ex tribus tonis et semitonio, alia ex ditono et | semitonio et tono. <sup>22</sup>Quarta contraria est prime, et tertia | secunde. <sup>23</sup>Quarum similiter alia naturalis est, alia formalis. <sup>24</sup>Naturaliter enim oriuntur a finalium tetracordo. <sup>25</sup>Prima species a prima finali in primam acutarum, et sic deinceps per ordinem. <sup>26</sup>Formaliter enim aliunde sumitur, ut dictum est superius.

<sup>27</sup>Sicut septem sunt discrimina vocum, sic septem sunt species diapason, ab ipsis septem discriminibus per ordinem nascentes ut ab .A. gravi in .a. acutam, a .B. in .b. et cetera eodem modo per ordinem. <sup>28</sup>Sed quinta eius species a secunda finalium et quinta acutarum est, videlicet ex secunda specie diatesseron superius et secunda specie diapente inferius et sic de reliquis. <sup>29</sup>Diffinitur autem hoc modo : diapason est consonantia in qua constituenda iunguntur diatesseron et diapente.

<sup>30</sup>Primus modus sunt .A. et .D., sed .D. per naturam, .A. per affinitatem. Et de ceteris similiter dicatur, quod vel natura vel affinitate per eandem positionem tonorum enim voces sunt unius modi usque ad .G., que sola vox nullam affinitatem habuit utroque modo scilicet remissione et intensione.

*L* 95ra

<sup>31</sup>Sciendum est quod cum .a. .b. .c. sint finales, tamen in tetracordo finalium non accipiuntur, quia licet per affinitatem tantum, per naturam non sunt finales, nisi a .D. in .G. duabus de causis : <sup>32</sup>et quia ibi finales ordine sequuntur se quod alibi non fit, et quia .D. primus modus legitimam | descensionem plagalis sui habet sub se per diapente quod alibi non haberet, si .A. naturaliter primus esset. <sup>33</sup>Ideo .D. naturaliter est finalis, quia perfectionem habet regule naturalis.

---

<sup>27</sup> COMM. Guid. 10, p. 109

<sup>29</sup> COMM. Guid. 11, p. 109

<sup>30</sup> (et de ceteris-intensione) COMM. Guid. 89, p. 115

31-32 COMM. Guid. 5, p. 116

33 COMM. Guid. 8, p. 117

<sup>34</sup>Notandum quod equivoce scilicet affines .a. .b. .c. idcirco naturalibus finalibus .D. .E. .F. sunt attribute ideo, quia eiusmodi sunt. <sup>35</sup>Et si non utroque latere alio tamen sunt similes vel propter deficientiam ditoni ut vides in graduale *Hec*, vel propter deficientiam semitonii ut patet in introitu *Exaudi domine*, vel propter acutionem cantus. <sup>36</sup>Quando tamen acuitur, ut ad finalem naturalem redire non possit, sibi scilicet in affini, vel gemina ut in responsorio *Terribilis*, vel simplici transpositione terminetur, vel propter dulcedinem modulationis que fit ex vocum variatione vel ideo modernis id placuit, ne inopes sue artis se videntur.

<sup>37</sup>Sciendum est quod cum ptongi quilibet a naturali loco non moveantur seu in inferioribus seu superioribus iungantur vocibus, quomodo descendere, deponi, remitti, inflecti ad inferiora, ascendere vero, elevari, intendi ad superiora dicantur, cum a suis sedibus penitus immobiles esse videantur. <sup>38</sup>Ad quod dicendum quia neque deponuntur neque elevantur, ita ut a loco moveantur; sed deponi dicuntur quando cum inferioribus consonant, elevari autem quando cum superioribus, id est acutis, concinunt.

L 95rb

Sowa p. 157

<sup>39</sup>Quod nos dicimus modum, hoc Greci | tropum id est conversionem vocant, quia quocumque modo varius et dubius est cantus. <sup>40</sup>Si quippe ad finem reducitur, | mirum in modum totus mox in naturam eius convertitur, quod nisi servetur etiam bene compositus deformatur. <sup>41</sup>Quod vero nos primum hoc ipsi prothum, secundum deuterum, tertium tritum, quartum tetrardum vocant, ab ipsis finalibus nomen toti cantui dantes, ut hunc vocent prothum illum deuterum et cetera.

<sup>42</sup>Sciendum est quod Antiqui quatuor tonos tantum habebant: primum, secundum, tertium, quartum. <sup>43</sup>Quorum cum finales essent que etiam modo sunt finales .D. .E. .F. .G., unusquisque illorum sub sua finali per quatuor graves cordas descendit.

---

37 COMM. Guid. 8, p. 117

<sup>44</sup>Septem vero superiores et quatuor inferiores cum finali undecim sunt corde. <sup>45</sup>Itaque cum unusquisque de supradictis quatuor tonis graves et acutas ascendendo et descendendo obtineret cordas, quidam vero cantus proprie acutas, quidam vero naturaliter graves possideat chordas.

<sup>46</sup>Quidam autem musice artis auctores, quid horum melius sit considerantes unumquemque de supradictis quatuor tonis in duos modos diviserunt. <sup>47</sup>De primo primum facientes, de secundo tertium et quartum, de tertio quintum et sextum, de quarto septimum et octavum. <sup>48</sup>Primo, tertio, quinto, septimo nomen imponentes | principales vocaverunt. Secundo, quarto, sexto octavo nomen plagalis dantes collaterales nuncupaverunt. <sup>49</sup>Qua separatione facta, cantus possidentes graves chordas plagalibus, id est collateralibus, dederunt, id est secundi vel quarti vel sexti vel octavi toni esse dixerunt. <sup>50</sup>Acutas vero autentis, id est principalibus, tribuerunt, hac eos disponentes ratione, ut quantum autentus a suo plagali vincitur in gravibus, tamen plagalis a suo autentis superetur in acutis, quod in ascensu et descensu cuiusque toni patere postest diligenter intuenti.

<sup>51</sup>Primus a .D. usque ad .d. ascendendo naturaliter porrigitur, a .D. vero usque .C. descendendo remittitur; est tamen cum ad .f. acutum extenditur, ad .A. vero grave remittitur. <sup>52</sup>Secundus usque ad .Γ. usque descendit, ascendit vero ad .a., interdum tamen usque ad .c. <sup>53</sup>Tertius a finali suo tono descendit usque ad .D., ascendit usque ad .e. acutum; est tamen cum ad .C. descendit a finali ditono. <sup>54</sup>Quartus usque .A. deponitur sub se, supra se ad .h. porrigitur; est etiam cum ad .d. intenditur. <sup>55</sup>Quintus autem usque ad .f. acutum ascendit. Non autem descendit, sub fine deest enim tonus. <sup>56</sup>Omnis autem autentus tono a fine descendit, hic vero, quia non habuit tonum, caruit descensione. | Est tamen cum ad .a. superacutam ascendit. <sup>57</sup>Sextus tonus descendit usque .C., ascendit usque ad .c. acutum. Est tamen cum ad .e. acutum ascendit. <sup>58</sup>Septimus vero ascendit usque ad .g. acutum, ad .F. vero usque descendit. Est tamen cum ad .hh. superacutam

L 95va

L 95vb

intenditur.<sup>59</sup> Octavus vero usque ad .C. descendit, ascendit usque ad acutum .d. Est tamen cum ad .f. acutum intenditur.

<sup>60</sup>Manifestum est quod plagalis vincat autentum suum, quisque vero autentus superet suum plagalem, ille in tribus gravibus, hic vero in tribus acutis.<sup>61</sup> Si quis igitur supradicta consideret, omnis tonus ascendendo et descendendo undecim cordas regulariter obtinet preter quintum et sextum quibus deest vox inferius et ideo non habent undecim cordas.<sup>62</sup> Quintus tamen aliquando descendit, non perveniendo ad I cordam scilicet lichanosipaton, que assignatur per .D.<sup>63</sup> Cantus sexti toni aliquando, cantatur in acutis, ita ut non descendit ultra .G. et finitur in .c. acuta.<sup>64</sup> Primi etiam aliquando cantatur in acutis, qui non descendens ultra .G. finitur in .a.

Sowa p. 158

<sup>65</sup>Preterea sciendum est quod *Seculorum Amen* omnis autentici incipit in quinta corda superius a finali ipsius.<sup>66</sup> Plagalium vero qui sunt secundus quartus sextus et octavus *Seculorum amen* incipit vel in tertia I vel in III<sup>a</sup> corda superius a finali : secundi et sexti *Seculorum amen* incipit in tertia superius a finali, quarti et octavi incipit in quarta.<sup>67</sup> Autenti sunt primus tertius quintus et septimus.<sup>68</sup> Sciendum est quod psalmus autenti prothi et psalmus autenti triti et plage triti in .F. incipiunt. Psalmus plage prothi in .C., psalmus autenti deuteri et plage tetrardi in .G. incipiunt.<sup>69</sup> Et psalmus plage deuteri in .E., et psalmus autenti tetrardi in .h. incipiunt.

L 96ra

<sup>70</sup>Sed et hoc diligentissime notandum est quod primus et sextus tonus <in> inceptione similes sunt, et in medio.<sup>71</sup> Item secundus et tertius et octavus similes sunt in inceptione et in medio sed non in eisdem cordarum sedibus.<sup>72</sup> Sed tertius in inceptione tantum, in medio nulli similis est.<sup>73</sup> Quartus, quintus et septimus dissimilibus cordarum sedibus in medio tantum similes sunt.<sup>74</sup> Quisquis ista studiose notaverit, satis honeste proficiet ;

---

68 autenti<sup>1+2</sup>] attenti L

verumtamen quicumque hec notare dissimulaverit, mirum est si quem unquam psalmum regulariter valet incipere.

<sup>75</sup>In plagis quidem minime licet principia cantuum vel fines distinctionum ad quintas intendere, cum ad quartas perraro soleat evenire. <sup>76</sup>In autentis vero preter deuterum eadem principia vel fines distinctionum minime licet ad sextas intendere. <sup>77</sup>Plage autem prothi vel triti ad tertias intendunt. <sup>78</sup>Et plage siquidem deuteri vel tetrardi ad quartas intendunt.

L 96rb

<sup>79</sup>Primus tonus grece auten|tus prothus .V. differentie habet. <sup>80</sup>Cuius principalis sonus in .D. et in .F. et .a. In .F. ut ant. *Apertis th<esauris>*. In .a. ut ant. *Adiutor*. <...>

<sup>81</sup>Secundus tonus grece plaga prothi differentia caret. <sup>82</sup>Huius principalis sonus in .C. et in .D. et in .F. In .C. ut ant. *Ait Petrus*. In .D. ut ant. *Iuste et pie*. In .F. ut ant. *Auxilium meum*.

<sup>83</sup>Autentus deuterus, hoc est tercius tonus, III differentias habet. <sup>84</sup>Cuius principalis sonus in .E. tantum inchoat, ut ant. *Adherebat*. <sup>85</sup>I<sup>a</sup> In .G. ut ant. *Domine probus*. <sup>86</sup>II<sup>a</sup> in .G. etiam ut ant. *Auferte ista*. <sup>87</sup>Tertia rursus in .G. et in .C. In .G. ut antiphona *Accipiens Symeon*. In .C. ut ant. *Vivo ego*.

<sup>88</sup>Quartus tonus grece plaga deuteri V differentias habet. <sup>89</sup>Cuius principalis sonus in .E. et in .G. inchoat. In .E. ut ant. *Auro virg<inum>*. In .G. ut ant. *Nos scientes*. <sup>90</sup>I<sup>a</sup> differentia rursus in .E. et in .G. In .E. ut ant. *Fidelia*. In .G. ut ant. *In mandatis*. <sup>91</sup>II<sup>a</sup> in .D. tantum ut ant. *Rubum quem vid<erat>*. <sup>92</sup>III<sup>a</sup> in .D. rursus ut in ant. *Ante thorum patet*. <sup>93</sup>Reliquas eiusdem differentie ant. in .a. scito transformari et III<sup>a</sup> in .c. tantum, ut ant. *Angelus*. <sup>94</sup>V<sup>a</sup> in .G. et in .a. In .G. ut ant. *O mors*, in .a. ut ant. *Nisi diligenter*.

L 96v

<sup>95</sup>Quintus tonus, i. grece autentus tritus unam differentiam habet. <sup>96</sup>Cuius principalis sonus in .F. tantum | ut ant. *Adhuc multa*. <sup>97</sup>Differentia in .a. et in .c. In .a. ut ant. *Adveniente Petro*, in .c. ut ant. *Elevamini*.

---

87 rursus] russus L

96 tantum] cantum L



<sup>96</sup>Sextus tonus grece plagis triti unam differentiam habet .C.  
<sup>97</sup>Cuius principalis sonus in .F. cantum suum inchoat et in .D.  
 In .F. ut ant. *Adorate dominum* in .D. *Si ego*. <sup>98</sup>Differentia in .F. ut  
 ant. *Benedixit filiis*.

<sup>99</sup>Septimus tonus grece autentus tetrardus IIII differentias  
 habet. <sup>98</sup>Cuius principalis sonus in .G. tantum inchoat cantum ut  
 in ant. *Apparuit caro*. <sup>99</sup>Prima differentia in .G. ut ant. *Accipite  
 spiritum s<anctum>*. <sup>100</sup>II<sup>a</sup> rursus in .G. ut ant. *Angelus ad pastores*.  
<sup>101</sup>III<sup>a</sup> in .b. ut *Dixit dominus*, in .c. ut ant. *Avertantur*. <sup>102</sup>IIII<sup>a</sup> in .d.  
 ut ant. *Anulo suo*.

<sup>103</sup>Octavus tonus grece plagis tetrardi IIII<sup>or</sup> differentias habet.  
<sup>104</sup>Cuius principalis sonus cantum suum in .C. et in .D., in .G. et in  
 .a. inchoat. In .C. ut *Stabunt iusti*, in .D. ut ant. *Dixit d. mul*. In .G.  
 ut ant. *Ecclesie sancte*. In .a. ut ant. *Ab oriente*. <sup>105</sup>Prima differentia  
 in .E. et in .F. In .E. ut ant. *Bonum est*, in .F. ut ant. *Domine iste*. <sup>106</sup>II<sup>a</sup>  
 in .E. ut ant. *Aqua quam*. <sup>107</sup>III<sup>a</sup> rursus in .E. ut ant. *Cogita imp*.  
<sup>108</sup>IIII<sup>a</sup> e normis est.

<sup>109</sup>Principalis sonus, qui sive autenticus sit vel plagalis, a finali  
 suo, in quem regulariter finit, incipit. <sup>110</sup>Principia cantuum in  
 omnibus illis vocibus esse possunt, que secundum VI  
 consonancias cum finali voce conveniunt. <sup>111</sup>Si qua aliter inveneris  
 ex ipsa raritate cognosces quod auctoritate presumpta. Non autem  
 sunt regule firmitate reperta.

<sup>112</sup>Quisquis officiorum tonos celerrime velit agnoscere, in hoc  
 opusculo officia singulis tonis competencia cum psalmis et  
*Seculorum amen* subscripta | reperire poterit. <sup>113</sup>Sed primo  
 quasdam particulas de sancta trinitate compositas pro singulorum  
 psalmis tonorum cum ipsis psalmis et *Gloria patri* ponemus. <sup>114</sup>Ad  
 ultimum vero alias quasdam particulas omnium nomina tonorum  
 symphoniasque continentes imprimemus, ut his bis septenis

96vb


particulis habitis, per has omnium inceptions psalmorum, per illas vero singulorum, sicut supra diximus, nomina tonorum et *Seculorum amen* symphonias cognoscere valeamus hoc modo :



<sup>115</sup> PA-TER <IN> . Con-fi-te-mi-ni do-mi-no quo-ni-am bo-nus.



Glo-ri-a pa-tri <...>



Se-cu-lo-rum a- men.

<sup>116</sup> Primus ut Exurge. Gaudete in domino. Memento. Et enim sederunt.

Exurge quare. Redime me domine. Ego autem cum iust<itita>. Ego  
autem in domino. Exaudi domine in .a. transponitur. Factus est

dominus. Iustus es domine. Da pacem | Statuit ei dominus. Me  
expectaverunt. Iustus ut palma. De ventre.

<sup>117</sup> Iste introitus quamvis primo sit tono asscriptus tamen est secundi toni. <sup>118</sup> Sed hic sciendum est quod multociens prenotantur huic tono et aliis autentis propter euphoniā cantus qui secundum regulam plagales iudicantur, ut *De ventre* et introitus *Inclina domine*, <sup>119</sup> et plagalibus, qui secundum regulam autentici iudicantur, ut *O*

L 97r

---

<sup>118</sup> quod] quia L

D                    D

*sapientia, O Christi pietas, Laudate pueri, Iustus non conturbabitur,*

D                    F

*Dicit dominus sermones, Dominus secus mare.*

<sup>120</sup> Primus tonus duas habet differentias :



<sup>121</sup> Se-cu-lo-rum a- men

C            C                    C            C                    F

*Rorate. Inclina domine. Suscepimus. Gaudeamus. Exclamaverunt.*



<sup>122</sup> Se-cu-lo-rum a- men

*Lex domini. Meditacio cordis. Scio cui credidi. Sapientiam sanctorum. Salus autem iustorum.*

<sup>123</sup> Secundus tonus nullam differentiam habet.



<sup>124</sup> FI-LI- O. De-us iu-di-ci-um tu-um. Glo-ri-a pa-tri



et fi-li-o. Se-cu-lo-rum a- men. Se-cun-dus ut ec- ce.

<sup>125</sup> *Veni et ostende. Dominus dixit. Ex ore. Ecce advenit. Fac mecum. Letetur cor querentium. Sicientes venite. Cibavit eos. Dominus illum. Dominus fortitudo. Vultum tuum. Clamaverunt iusti. Venite adoremus. Multe tribulaciones. Michi autem. Terribilis est.*

<sup>126</sup> Tercius tonus incipit.

<sup>127</sup> *FILIUS. Iubilare deo omnis terra. Gloria patri et filio. Seculorum amen. Tercius ut vocem. Liberator meus. Deus dum egredieris.*

<sup>128</sup> Tercius tonus unam habet differentiam.

<sup>129</sup> *Seculorum amen. Ego autem sicut. Dum clamarem. Confessio et pulchritudo. Tibi dixit. In deo laudabo. Ego clamavi. Dum sanctificatus. Miserere mihi domine. Omnia que fecisti. In nomine domini. Vocem iocunditatis. Repleatur os. Caritas dei. Si iniquitates.*

*Sancti tui domine. Ecce oculi. Loquetur dominus. Nunc scio. Timete dominum. Dispersit dedit. Cognovi domine. Benedicite domino.*

<sup>130</sup> *Quartus tonus nullam habet differentiam.*

<sup>131</sup> *IN PATRE. Domine probasti me. Gloria patri. Seculorum amen. Quartus ut resurrexit. Prope esto domine. Omnis terra. Dicut oculi. Reminiscere. De necessitatibus meis. Salus populi. Deus in nomine tuo. Iudica me deus. Iudica domine. Nos autem. | Resurrexi. Eduxit eos dominus. Misericordia domini. Exaudivit de templo. Exaudi domine vocem. Accipite iocund<itatem>. Protector noster. In voluntate tua. Sacerdotes tui d<omine>. Intret in conspectu. Dicit dominus Petro. Benedicite dominum.*

<sup>132</sup> *Quintus tonus incipit.*

<sup>133</sup> *SPIRITUS. Deus in nomine tuo salvum me fac. Gloria patri et filio et spiritui sancto evovae. Quintus ut ecce deus. Ecce deus adiuvat. Exaudi deus oratio. Miserere michi domine. Deus in loco sancto.*

<sup>134</sup> *Quintus tonus unam differentiam habet.*

<sup>135</sup> *Seculorum amen. Circumdederunt me. Domine refugium. Verba mea auribus. Letare Ierusalem. Domine in tua misericordia.*

<sup>136</sup> *Sextus tonus nullam habet differentiam.*

<sup>137</sup> *SANCTUS AB. Bonum est confiteri domino. Gloria patri et filio et spiritui sancto evovae. Sextus ut in medio. In medio ecclesie. Hodie scietis. Esto michi. Quasimodo geniti.* <sup>138</sup> *Cantate domino in .a. transponitur propter semitonium deficiente.* <sup>139</sup> *Omnes gentes. Respice in me. Exultate deo adiutori nostro. Sacerdotes dei ben<edicite>. Iusti epulentur.*

<sup>140</sup> *Septimus tonus nullam differentiam habet.*

<sup>141</sup> *UTROQUE. Qui regis Israel intende. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Evovae amen. Septimus ut populus. Populus Syon. Adorate deum. Audivit dominus. Ne derelinquas me. Deus in adiutorium. Oculi mei semper. Exspecta dominum. Aqua sapientia. Venite benedicti. In virtute tua. Protexisti me. Ne timeas Za<charias>. Iudicant sancti. Probasti domine. Gloria et honore.*

<sup>142</sup> Octavus tonus incipit.

<sup>143</sup> *PROCEDENS. Vias tuas domine notas fac michi. Gloria patri et filio et spiritui sancto evovae. Octavus ut ad te. Dilexisti iustitiam. In excelso throno. Invocavit me. Victricem m<anum>. Iubilare deo.*

<sup>144</sup> Octavus unam differentiam habet.

<sup>145</sup> *Evovae. Ad te levavi. Lux fulgebit. Dum medium. Domine ne longe introduxit nos dominus.*

L 98ra

<sup>146</sup> Quia sunt plerique simplices musice artis nimirum ignari, qui inter transformationem et transpositionem nichil distare prorsus | existimant, caritati eorum satisfacere cupiens in quo distent ab invicem dicere caritate magistra compellor.

Sowa p. 159

<sup>147</sup> Quid sit transformatio ? <sup>148</sup> Non enim parum hec duo distant ab invicem, quia sicut beatus Wido testatur : « transformatio est quando .G. sonat prothum, .a. sonat | deuterum cum ipsa .b. mollis, que sonat tritum. » <sup>149</sup> Hanc transformationem facit, scilicet quando aliquis cantus transformatur in voces alterius modi quam est : <sup>150</sup> in .G. videlicet, que est septimi et octavi modi, ut vides in antiphona *Angelus domini nuntiavit*; et cantus deuteri in .a. ut monstrat antiphona tertii toni *Dum complerentur*; et cantus tertii in b molli, sicut docet antiphona quinti toni *Vox clamantis in deserto*.

<sup>151</sup> Quid sit transpositio ? <sup>152</sup> Transpositio autem est quando cantus vel propter deficientiam semitonii ut patet in introitu autentici prothi *Exaudi domine*, vel propter deficientiam ditoni sicut vides in graduale *Hec dies*, in .a. affini prothi transponitur. <sup>153</sup> Idem profecto de plagalium quod de autentorum transpositione et transformatione Widonis auctoritate et usualium id est cottidianorum cantuum attestacione sentimus, scilicet plagas cum suis autentis in eodem loco transponendas simul et transformandas.

L 98rb

<sup>154</sup> Habita itaque inter transpositionem et transformationem compendiosa | quidem sed satis utili distantia, opere pretium duxi primo quot modis transformatio, deinde quot transpositio fiat intimare.

<sup>155</sup> Transformatio igitur quatuor modis fieri debere videtur, quia alia fit ex necessitate, alia prorsus nulla, alia quando cantus

ibidem sumit exordium ubi finitur, alia quando alio quolibet loco cantus incipitur. <sup>156</sup>De his si placet exempla ponemus.

<sup>157</sup>Transformatio igitur ex necessitate fit, quando cantus nec in naturali finali regulari tramite finiri, nec in equivoca transponi potest ut verbi gratia patet in antiphona quarti toni *Apud dominum*. <sup>158</sup>In huiusmodi autem transformationibus .b. mollem non solum dicam nullam confusionem facere immo maximam tollere, quia si huius modi transformatione adiumento .b. mollis non fieret, quibuslibet minus in hac arte peritis magnum cantus iste dubietatis errorem incuteret.

<sup>159</sup>Alia secunda autem transformatio nulla prorsus necessitate fit, quando cantus in naturali finali regulari cursu finiri, et in affini transponi potest, sicut in autentis prothi patet antiphona *Angelus domini nuntiavit*. <sup>160</sup>In hac autem transformatione et in huic similibus dicam e converso .b. | mollem maximam mihi meique similibus confusionem incutere, cum cantum istum autentis protho naturaliter ascribendum in litteram septimi et octavi modi in .G. videlicet quasi regulariter transformat.

L 98v

<sup>161</sup>Alia tertia autem transformatio est quando cantus ibidem sumit exordium ubi finitur, sicut in prescripta autentis prothi patet antiphona *Angelus domini*.

Sowa p. 160

<sup>162</sup>Alia quarta | transformatio est, <quando> alio quolibet loco cantus incipitur ut patet in antiphona quarti toni *Apud dominum*.

<sup>163</sup>Sicut superius quid sit transformatio, quid transpositio et quibus modis transformatio fieri videatur, ostendimus, sic nimirum quibus modis transpositio fiat ignaris ostendere nobis videtur absurdum.

<sup>164</sup>Duobus itaque modis fit transpositio. <sup>165</sup>In aliquibus quippe cantibus necessario plage prothi deuteri triti finiuntur in .a. <.h.> .c., ascendentes illuc gemina transpositione: <sup>166</sup>vel ex toto transposita a finali legitima in affinem ut *Hec dies quam fecit dominus*, in .a. ex toto transponitur, ut in .a. toto canitur. <sup>167</sup>Vel transpositione in parte, ut cum cantus finalem in legitimam finiri deberet et circa eam aliquamdiu versatus fuisset, et ad finem se transferret per lasciviam et ibi finiatur, ut *Terribilis est locus iste*.